A memoriam festo die recolimus, & insultum omnem hostium, siue ex insidijs illi siue apertè nos impetant, ad abyssum perditionis relega, & quidquid in vitâ difficile asperumque est, complana: vt falsis eius aquis superatis, in diuinos portus appellamus, directi tuâ, D atque per te Christi dexterâ, Saluatoris ac Dei nostri, cui conuenit gloria, honor & adoratio in secula. Amen.

EX MS. GRÆCO.

## DE SANCTIS XL MARTYRIBVS SEBASTENIS

## QVIRIONE, CANDIDO, DOMNO, MELITONE, DOMITIANO, EVNOICO, SISINIO, HERACLIO, ALEXANDRO, IOANNE, CLAVDIO, ATHANASIO, VALENTE, HELIANO, ECDITIO, ACACIO, VIBIANO, HELIA, THEODVLO, CYRILLO, FLAVIO, SEVERIANO, VALERIO, CHVDIONE, SACERDONE, PRISCO, EVTYCHIO, EVTYCHE, SMARAGDO, PHILOCTIMONE, AETIO, NICOLAO, SIVE MICALLIO, LYSIMACHO, THEOPHILO, XANTHEA, ANGIA, LEONTIO, HISICHIO CAIO, ET GORGONIO,

### Commentarius præuius.

### § I *Varia horum Martyrum Acta, & de ijs homiliæ sanctorum Patrum.*

SVB LICINIO IMP. X MART. *Martyres passi Sebastiæ,*

1 *Sebastiam aliis habitam Armeniæ minoris vrbem, aliis Armeniæ primæ metropolim, à nonnullis etiam Cappadociæ olim adscriptam fuisse, docuimus die* III *Februarij ad Acta S. Blasij Episcopi Sebasteni, qui gloriosum ibidem martyrium subijt in eadem Licinij Imperatoris persecutione; quâ hi quadraginta Martyres illustre pro Christo certamen compleuêre: Cædi perfiendæ ijdem vtrobique præfuêre, Lysias Dux & Agricolaus Præses; quos ad eadem S. Blasij Acta diximus Græcos genere, ingenio & eloquentiâ promptos; sed indole feroces, ac superstitionibus idolorum mirè deditos, à Diocletiano ad extinendam Christianam religionem in Armeniam & Cappadociam missos, atque in isdem muniis & dignitatibus fuisse sub Licinio detentos. De varijs sub horum regimine peremptis Christianis sæpiùs agendum erit. Præcipuorum Martyrum catalogus texitur ad dicta Acta S. Blasij, cui mox ab obitu successit Episcopus S. Petrus. Huic Acta posteriora Latina infrà num.* 19 *tradunt* reuelatum fuisse, vt iret ad fluuium, & sacra pignora horum XL Martyrum studiosissimè releuaret; *de quo itidem ista habent Acta apud Lipomanum:* Tertio post die ciuitatis Episcopo Petro per visum Martyres aperuerunt, quo in loco reliquiæ seruarentur. *De S. Petro seorsim hoc die agimus: cui non diu post successit* Eulogius, *alijs* Eulalius, *qui* Sebastenus Asiæ minoris Episcopus *anno* CCCXXV *Concilio Nicæno subscripsit. Cardinalis Baronius tomo* 3 *Annalium refert ad annum Christi* CCCXVI *martyrium, & S. Blasij & horum* XL *Martyrum, asserens* vnum mensem & sex dies *interfuisse, à die* III *Februarij, ad* IX *Martij.*

*Lysiâ Dux & Agricolao Præsides*

C

*tunc S. Petro Episcopo Sebasteno.*

2 *Acta horum Martyrum extant varia: antiquiora Latina arbitramur, quæ damus ex vetusto MS. monasterij Gladbacensis, & altero MS. codice nostro, quem Amplissimus Dominus, Gauleus Cancellarius Geliræ nobis anno* MDCXLVIII *donauit. In hoc tamen MS. nonnulla sub medium desunt, foliculo ex codice excisso. Eadem Acta habemus, sed phrasi subinde diuersâ, ex MS. itidem vetusto monasterij S. Maximini apud Treuiros, ac contulimus cùm MS. codice Bernardi Rottendorffi V. CL. quem is pro suâ humanitate Monasterio VVestphaliæ ad nos transmisit. Legimus eadem Acta in MSS. duobus Serenissimæ Christinæ Reginæ Sueciæ; quorum alter maior num.* 482, *alter minor num.* 569. *insigniti distinguebantur. Extant etiam Andaini, siue in monasterio S. Huberti apud Arduennates. Acta Latina alia damus ex codice MS. Longobardico monasterij sanctimonialium S. Ioannis in vrbe Capuanâ, ex quo illa suâ manu descripsit ac nobis transmisit D. Silueſter Ayossa Sacræ Theologiæ Licentiatus, Canonicus Presbyter Capuanus; ac nepos D. Michaëlis Monachi, optimè etiam de antiquitate Capuanâ meriti. Sunt hæc Acta Moguntiæ anno* MDCIV *per Gerardum Vossium Borchlonium, & Ecclesiæ Tungrensis Præpositum edita inter Miscellanea aliquot Patrum, adiecta S. Gregorij Thaumaturgi operibus. Asserit autem Vossius se vsum fuisse quatuor codicibus MSS. Romanis, scilicet peruetusto Passionario bibliothecæ Vaticanæ, & alio antiquissimo monasterij S. Cæciliæ Transtiberini, ac duobus Statianis, tunc Patrum Congregationis Oratorij; reperiri etiam in Regiâ Parisiensi bibliothecâ, alijsque pluribus. Idem Vossius in scholiis ad Orationem S. Ephræm Syri de his Martyribus, tradit alterum codicem Statianum ab annâ* DCC *aut amplius exaratum fuisse.*

*Acta antiquiora Latina ex MSS.*

*alia ex MSS. collata*

*cum editione Vossianâ ex 4 MSS.*

F

3 *Occasionem scriptionis horum Actorum ita indicat auctor in prologo:* Domnus Ioannes spiritalis noster Pater, Abbas quoque monasterij S. Seuerini, cùm me infelicissimum Ioannem Diaconum, seruum S. Ianuarij Martyris diligeret. . . . . præcepit, vt passionem eorum Martyrum Latinis transferre sermonibus, minimè recusarem. *Floruêre ambo &* Ioannes Abbas & Ioannes Diaconus *sub Episcopis Neapolitanis Athanasio* II *& Stephano* III *fratribus, quorum patruo* S. Athanasio, *fastis Martyrologij Romani ad diem* XV *Iulij adscripto, successit* Athanasius II, *qui, teste Leone Ostiensi lib.* I *Chronici Casinensis cap.* 45, *vixit cum* Angelario Abbate, *quem is asserit ab anno* DCCCLXXXIV *ad annum* DCCCXC *præfuisse. Huius iussu è Græco in Latinum transtulisse* Ioannem Diaconum Acta SS. Eustratij & sociorum, *tradit Baronius in Notis ad* XIII *Decembris: sed in Prologo versionis (cuius ex Logobardico Emin. Card. Francisci Barberini exemplum*

*Latinè versa à Ioanne Diacono iussu Ioannis Abbatis S. Seuerini*

Digitized by Google

A *emplum ipsi transcripsimus) non Ioannem, sed* Guarimpotum *se vocat interpres: quod potuit cognomen Ioannis fuisse. Ipse autem* Ioannes Diaconus *ad prædictum vsque Athanasium deduxit Chronicon Episcoporum Neapolitanorum, quod penès nos descriptum habemus. Eodem Athanasio* II *procurante extructum est Neapoli monasterium S. Seuerini, inducto per* Acculsarium Abbatem *quindecim monachorum collegio. Acculsario vitâ functo, præfecit* Athanasius *memoratum* Ioannem Presbyterum; *quo Abbate* Stephanum III Episcopum transtulisse Neapolim corpus S. Seuerini anno XXIV Imperatorum Leonis & Alexandri, *Christi* DCCCCII, *scribit Ioannes Diaconus in Historiâ Translationis S. Seuerini, quam ex MSS. Neapolitanis edidimus tomo* I *Ianuarij inter Addenda ad* VIII *Ianuarij pag.* 1098 *& sequentibus hoc exordio:* Scripturus, Domine Ioannes Abba, qualiter ex castro Lucullano dudum euerso translatum, tuoque in Monasterio S. Seuerini corpusculum sit collocatum *&c. Et num.* 9 *ista habentur:* Ioannes venerabilis Abbas monasterij S. Seuerini Parthenopæ constructi, vir per omnia strenuus, suis efflagitabat precibus, vt corpusculum eiusdem Confessoris non alibi nisi in suo collocaretur monasterio. *Huius suæ historiæ meminit idem* Ioannes Diaconus *in Actis S. Sosij Diaconi &* sociorum Martyrum *ad diem* XXIII *Septembris, quæ eodem* Abbate Ioanne efflagitante *scripsit, testatus se* Translationi corporis *eiusdem* S. Sosij sub Stephano Episcopo factæ interfuisse. *Huic*

*circa annum 900.*

B *Stephano subrogatus* Athanasius III, *pleraque de exordio monasterij S. Seuerini commemorat in litteris testimonialibus de Translatione corporis S. Seuerini, datis* Indictione XI, die XVII Decemb. anno XXX Imperij Leonis & Alexandri, *ergo anno Christi* DCCCCVII. *Dictas litteras testimoniales edidit Bartholomæus Chioccarellus lib. de Episcopis Neapolitanis in Athanasio* III *sed qui, nescio quibus fastis aut Chronicis abreptus, initium Episcopatus Stephani* III *collocat ad annum* DCCCCXX: *cui dein elapsis* XVII *annis successisset Athanasius* III. *Verùm memorati iam Imperatores Leo & Alexander quibus vitâ functi sunt, vnus anno* DCCCCXI, *alter sequenti. Hæc pro certiori notitiâ ætatis Ioannis Diaconi dicta sufficiant: qui asserit in dicto Prologo se* Abbati Ioanni præcipienti, *vt* Passionem *horum Martyrum* Latinis transferret sermonibus, respondisse, esse illam satis Latinitate donatam: *sine dubio intelligens Acta antiquiora de quibus suprà egimus, & adsipulantur vetusta Martyrologia infrà proferenda.*

*in quibus antiquiora Latina citantur,*

*Græca per Metaphrasten,*

4 *Leo Allatius in Diatribâ de Simeonum scriptis asserit pag.* 126 *Martyrium sanctorum Quadraginta Martyrum à Metaphraste scriptum esse hoc exordio.* Ἔτυχε μὲν τὸ Ῥωμαίων σκῆπτρα Λικίνιος καὶ βασιλέων τῶν πάλαι. Habebat quidem Romanorum sceptra Licinius & antiquorum Imperatorum *&c. Ea Acta necdum licuit videre. Alia Acta perperàm sub nomine Metaphrastæ indicat idem Allatius pag.* 122, *quæ sic incipiunt.* Κατὰ τοὺς καιροὺς

C Λικινίου τοῦ βασιλέως ἦν διωγμὸς μέγας τῶν Χριστιανῶν. Tempore Licinij Imperatoris magna fuit in Christianos homines persecutio. *Sunt hæc ex MSS. Græcis Venetis Latinè reddita à Petro Francisco Zino Veronensi, & ab Aloysio Lipomano tomo* 7 *de vitis Sanctorum vulgata, & à Surio ad* IX *Martij translata. Et hæc more nostro editioni nouæ apraueramus, sed cùm apud dictos auctores legi possint, atque admodùm parùm ab antiquis codicibus Latinis discrepent, malumus his omissis, inedita antiqua monumenta Latina proferre. Nolumus etiam recensere auctores varios, qui ea aut in alias variarum nationum linguas transtulerunt, aut suo stylo, & quidem in compendium decurtata, scripserunt. Ex Græcis scriptoribus, inter quos intelligimus Armenos, Cappadoces, aliosque Asiæ viros eruditos, omnis horum Actorum scientia deriuata est: ac primò arbitramur ab Ecclesiâ Sebastenâ historiam martyrij horum* XL *pugilum conscriptam fuisse, & peruetusto Asianorum more ad alias Ecclesias instar epistolæ encyclicæ missam. Gerardus Vossius in suis scholijs ad encomium S. Basilij Magni de his* XL *Martyribus asserit:* Acta martyrij à Ioanne Diacono Latinè versa

*alia apud Lipomanum & Surium, hic omissa.*

Græcè *extare* in magno MS. Vaticano sub numero 908 antiquo charactere descripta, *essequè* vetustissima Acta Martyrum, *quæ idem Vossius in Scholijs ad encomium S. Ephræmi Syri de eisdem Martyribus tradit* à doctis adscribi Euodio, Sancti ac Magni Basilij discipulo, & in Episcopatu eius successori, sub cuius etiam nomine in bibliothecâ Sfortianâ Græcè reperiantur. *Ita Vossius, qui addit eamdem historiam martyrij haberi etiam* in Passionario Græco bibliothecæ Statianæ, Manuscripto antiquissimo, *item* in Græco MS. bibliothecæ Cardinalis Sirleti, *tunc* Cardinalis Columnæ, *& nonnulla ex ijs allegat, quæ tamen non exactè respondent vllis Latinæ translationi à nobis hactenùs indicatæ.*

D

*alia adscripta Euodio successori S. Basilij.*

5 *Prolixi sunt sancti Patres atque admodùm eloquentes in efferendâ constantiâ aliisq; virtutibus horum Martyrum. Magnus Basilius suum erga hos Sanctos affectum & docto encomio ostendit, & alijs qui eosdem suâ scriptione honorarent, infudit. S. Ephræm Syrus in encomio de S. Basilio fatetur per hunc* sibi inditum sensum ac cogitationem pariendi XL Martyrum laudes. Omnem enim, *inquit,* rationem ac modum tolerantiæ ipsorum meis infudit auribus vir ille egregius, quemadmodùm sibi mortem pro Christo delegerint, quantaque pericula despexerint, vt ipsum lucrifacerent: tum quot numero Sancti fuerint, reliquaque eorum commemorabat certamina. Quod ergo ad eiusmodi insignem effectum nos dignos censuerit fidelis Pontifex, vt triumphantium istorum virorum de tam illustri martyrij sui reportatâ victoriâ, in aliâ oratione laudes describptas relinqueremus; est quòd Sanctum hunc Christi, eiusdemque cum illis admirationis partique honoris virum, beatum prædicemus atque felicem. Nam quemadmodùm Sancti isti viriliter Licinio restiterunt tyranno, & Duci ac Præsidi; ita & Sanctus hic se opposuit Valenti, Ario ac Audaci Præfecto. *Omittemus rehqua, in quibus res gestæ S. Basilij cum illustribus horum Martyrum facinoribus comparantur. Idem Ephræm ad hunc locum adludit in suâ de his* XL *Martyribus oratione, dum in eius exordio ait:* Non enim oblitus sum mei promissi, quo vobis de egregijs pollicitus sum triumphatoribus, quando ea, quæ Sancti ac fidelis sunt Basilij, electi viri Dei, enarrabam. *Et implorato patrocinio Martyrum ad virtutes illorum dignè recensendas addit;* Nam ad hoc præclarum munus obeundum nos vocandos censuit fidelis Pontifex Basilius. *Vossius in Scholijs fatetur* à S. Basilio luculenter encomia atque trophæa horum insignium Martyrum descripta esse, fusiùs tamen ac plenius à S. Ephræmo. *Ac Lectorem ad vtriusque perlectionem atque collationem, vt meliùs cognoscat decernatque, inuitat & cohortatur.*

*De eisdem Martyribus homilia S. Basilij,*

*laudata à S. Ephræmo Syro:*

E

*huius homilia:*

6 *Plures etiam orationes de* XL *hisce Martyribus scripsit S. Gregorius Nyssenus S. Basilij frater, & ipse illustris scriptor. Harum prima est potiùs exordium orationis sequentis: nam cùm tumultu ac strepitu multitudinis certatim ad venerationem Martyrum confluentis, & sese in templo constipantis, exaudiri præterquàm à proximè adstantibus non posset, in posterum diem rem distulit, & proximâ oratione absoluit. Alia eiusdem S. Gregorij Nysseni oratio laudatoria dicta in Martyrio siue Ecclesiâ eorumdem Martyrum ex MSS. eruta est à Iacobo Gretsero nostro, & cùm eius interpretatione Latinâ edita: in cuius exordio præclara virtus ac doctrina S. Basilij commendatur, vt* quem ante se *asserit* beatos hosce Martyres laudibus extulisse, & quasi coronasse: *Ceterùm* non ideò se tacere debere, quia ille priùs magnificè Martyrum admiranda facta deprædicauit: non enim se in præsenti cum illo certare instituisse; sed aliquid etiam vtilitatis adferre auditoribus ex horum Martyrum trophæis voluisse. *Aliqua hinc exterpimus, quæ ad horum Martyrum cultum, reliquias ac miracula spectant. De sanctis hisce Martyribus pulchrum etiam encomium scripsisse* S. Athanasium *asserit sæpiùs memoratus Vossius, ac se* Romæ in bibliothecâ quondam Cardinalis Sirleti, *tunc* Ascanij Cardinalis Columnæ

F

*plures S. Gregorij Nysseni*

*an alia à S. Athanasio scripta,*



Digitized by Google

A Græcè inuenisse, nondum, de quo constet, impressum.

*Latina à S. Gaudentio Ep. Brixiensi,*

7 *Inter antiquiores Patres Latinos floruit* S. Gaudentius, *satagente S. Ambrosio* Episcopus Brixiensis *circa annum* CCCLXXXV *creatus: inter cuius opera extat homilia de Sanctis hisce Martyribus habita die dedicationis basilicæ ad honorem illorum à se erectæ. Retexitur ab eo historia martyrij, indicaturq; occasio reliquiarum ab se ex Oriente ad suam Ecclesiam delatarum: quam saltem partem mox proferemus. In alijs S. Basilium fermè secutus est, de quo ista scribit:* planè habent idoneum suis meritis dignissimumq; præconem beatæ recordationis virum, Confessorem Basilium, Ecclesiæ Cæsareensis Antistitem: cuius eloquentia singularis, & sermo Apostolico sale conditus, paupertatem mei retundat ingenij. Quid enim inferri à me nouum potest, quod non ille in eorum laudibus vbertate eloquij sui opulenter effuderit, copiosè ornauerit, signanter impresserit? Aggrediar tamen instituendæ dilectionis vestræ causâ vel historiam replicare gestorum. *Nos omissis tot Patrum antiquorum disertis orationibus, solùm damus à reliquis laudatum encomium S. Basilij historicâ methodo exornatum: & extat inter opera illius cum antiquâ passim translatione, & Notis Frontonis Ducæi & Andreæ Schotti, in quibus allegant ex hac versione citata verba tum ab Anastasio in Synodo* 2 *Nicænâ Actione* 4, *tum ab Episcopis in Synodo Parisiensi collectis: ac nonnulla loca cum Græcis collata ostendunt emendari debere, neque Ianum Cornarium in suâ editione satis aptè id præstitisse. Gerardus Vossius ex antiquissimis MSS. Græcis inter se collatis nouam versionem molitus est, atque inter Miscellanea aliquot Patrum suprà indicata vulgauit. Eam versionem vtpote minùs notam hîc damus. Aliquarum etiam reliquiarum horum Martyrum inuentionem describit Sozomenus lib.* 9 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 2 *& ex eo Nicephorus lib.* 14 *cap.* 10. *Eam ex priore & antiquiore scriptore addimus.*

*excerpta ex homiliâ S. Basilij,*

*hic dandâ ex versione, non antiquâ,*

B

*sed Vossianâ.*

*Inuentio reliquiarum ex Sozomeno.*

## § II *Reliquiæ, templa, miracula, & veneratio horum* XL *Martyrum apud Græcos.*

8 *Ne vlla hisce Martyribus apud posteros veneratio haberetur, imò omnis eorum memoria tolleretur, collaborauit dæmon apparens; qui, ne aliquæ etiam eorum reliquiæ reperirentur, corpora comburi debere & in flumen proijci, persuasit. Hæc infrà in Actis leguntur. At S. Ephræm Syrus in suâ de his Martyribus homiliâ asserit,* contra conturbantem inimicum Angelos stagnum custodiuisse; *hinc* Gabrielem, *inde* Michaelem, & ab alto Christum vniuersorum inspectorem adfuisse. *Hac diuinâ prouidentiâ reliquiæ Sanctorum, in flumen ab impijs proiectæ, ad gurgitem vnum collectæ, & lumine cælesti reuelatæ, à Petro Episcopo Sebasteno eiusq; Clericis aliisq; viris religiosis eleuatæ sunt, ac loculis impositæ, per orbem vniuersum veneratione obtinuerunt. Certè S. Gregorius Nyssenus in has voces erumpit:* Combusta sunt corpora, eaque flamma excepit. Cineres verò illi & incendij reliquiæ in orbem terrarum ita diuisæ sunt, vt fermè quælibet prouincia benedictionem inde participet. Hi sunt, *inquit S. Basilius infrà num.* 12, qui nostram regionem continentes, non vno solo loco seipsos concludentes, at multis iam locis hospites effecti, multasque regiones exornantes. *Hinc templa horum nomini ac cultui passim erecta fuêre.* In ipsâ maximâ Cappadociæ ciuitate Cæsareâ eosdem beatissimos insigne martyrium, *siue ecclesiam,* habuisse *testis est S. Gaudentius in suâ homiliâ. In hac* Martyrum Ecclesiâ paratum Christianis auxilium *scribit num.* 13. *S. Basilius,* Qui aliquâ premitur angustiâ, ad quadraginta Martyres confugit, qui lætatur ad ipsos recurrit: *quæ dein exactiùs explicantur. De reliquijs quas S. Basilius Sanctimonialibus neptibus suis donârat, dein in Italiam translatis, mox agemus.*

*Fruſtrà obstante dæmone*

*Reliquiæ horum conseruatæ,*

C

*& delatæ ad varias ecclesias illis extructas,*

*vt Cæsareæ, in Cappadociâ,*

9 *Est altera Cappadociæ vrbs* Nyssa *etiam Martyrio siue ecclesiâ horum Martyrum celebris, in quâ S. Gregorius Episcopus eorum certamina populo exposuit, testatus* se habere particulam huius sacri muneris, & corpora, *inquit,* parentum meorum iuxta horum militum reliquias posui, vt tempore resurrectionis cum opitulatoribus spe & fiduciâ plenis resurgant. Scio enim illos posse: & quâ libertate & fiduciâ apud Deum valeant, dilucida argumenta vidi: ex quibus vnum commemorare lubet clarum videlicet testimonium, quid efficere queant. Est ad me pertinens vicus, in quo beatissimorum Martyrum reliquiæ requiescunt. Non procùl abest parua ciuitas, quam Iboran vocitant. In hac cùm ex receptâ Romanorum consuetudine census militum institueretur, quidam ex militibus ad prædictum vicum venit à Tribuno ad custodiam vici destinatus, vt commilitonum suorum inuasiones & iniurias propulsaret, quas milites rusticanis audacter inferre solent. Ægrotabat autem iste altero pede & claudicabat: eratque affectio diuturna & immedicabilis. Porrò postquàm diu in martyrio & loco requietionis Sanctorum fuit, preceſque ad Deum fudit, Sanctorum quoque intercessionem implorauit; & ecce noctu apparet ei vir venerandâ specie, & post alia, quæ dixit, Claudicas, ait, ô miles, & curatione eges: sed da vt tangam pedem. Et apprehensum in somnis pedem fortiter attraxit. Et cùm nocturna visio hoc faceret, vigilantibus talis excitatus est sonitus, qualis existere solet osse ex naturali suâ sede reuulso, deinde violenter restituto: vt & illi, qui vnà dormiebant, expergefierent, & ipse etiam miles confestim somno soluetur, sanusque more aliorum incederet. Hoc miraculum ego ipse vidi, cùm ipso milite versatus, qui vbique & apud omnes hoc beneficium à Martyribus acceptum diuulgabat & prædicabat & commilitonum suorum benignitatem celebrabat. Si verò quid, quod me peculiari modo attingat, apponere oportet, haud omittam. Quando enim primum festum diem ob reliquias acturi eramus, & vnam in sanctam Ecclesiam illaturi, mater mea (huius enim vita cum Deo erat, quæ etiam omnem diem festum eximiè ornabat) iussit me ad rerum gerendarum participationem venire. At cùm procul abessem, adhuc iuuenis & in laicorum ordine, prout fieri consueuit rebus vrgentibus, occupationibus distentus, grauiùs vocationem insipiens accepi, subaccusans matrem, quòd hanc celebritatem in aliud tempus non distulisset: sed me à varijs negotijs abstractum huc abduxisset, & quidem ante vllam synodum. Veni ergo in pagum: & cùm peruigilium obiretur in horto, vbi etiam Sanctorum reliquiæ psalmis honorabantur, mihi in vicinâ ædiculâ dormienti huiusmodi secundùm quietem visio oblata est. Videbar intrare in hortum, vbi peruigilium agebatur: & cùm ad fores essem, apparuit multitudo militum ad introitum excubantium, qui è vestigio assurgentes, virgasque quatientes, & minabundi in me irruentes, aditum non concedebant: quin & plagas accepissem, nisi deprecatione vnius, qui, vt videbatur, cetesis humanior erat, ereptus fuissem. Vbi verò somnus me reliquit, inque memoriam retiocaui, quæ circa vocationem deliqueram, tum quid terrifica militum apparitio sibi vellet intellexi: multis autem lacrymis defleui meam insipientiam, ipsamque sacrarum reliquiarum thecam lacrymis amaris aspersi, vt & Deum mihi propitiarem, & à sanctis militibus commissi obliuionem obtinerem. Hæc recensuerim, vt credamus Martyres viuere, & Dei quasi stipatores & assessores esse, qui hodie Ecclesiæ & emolumento & ornamento sunt.

D

*& Nyssa*

*cum miraculo claudi sanati,*

E

F

*& S. Gregorij Nyssenis obiurgati:*

10 *Hæc aliaque S. Gregorius Nyssenus, quibus antiquam reliquijs horum Martyrum impensam venerationem exponit, ac tandem lætatur* præsidio horum quadraginta Martyrum, qui sunt validi contra aduersarios propugnatores, & fide dignæ intercessionis apud commu-

nem

Digitized by Google

A nem Dominum aduocati. *His similia S.Ephræm Syrus habet, & tandem hac breui precatione suam homiliam concludit:* Intercedite, ô triumphatores Christi, pro minimo ac miserabili Ephræm, vt misericordiam inueniam, Christique gratiâ saluus fiam. *Eosdem S. Basilius infrà num.* 15 communes generis humani custodes, bonos curatum socios, precationum suffragatores, & potentissimos intercessores *nobis ostendit. Horum exemplo S. Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, vt gratus in patriam foret,* oppidum Phrygiæ, quod Pagus-diuinus dicitur, muro inexpugnabili circumdedit, & templum in eo sanctorum Quadraginta Martyrum exædificandum curauit, vt locus ipse multis de caussis diuinus vocari debeat, & refugium fiat salusque multarum animarum. *Hæc Eustathius Presbyter cœnus in illius Vitâ ad* VI *Aprilis illustrandâ.* Constantinopoli duplex *hisce* Martyribus sacrum *extitisse* templum *tradit Georgius Codinus de Originibus Constantinopolitanis: horum alind fuit* apud Thermas Constantianas, quod Anastasius Imperator cum Ariadne coniuge condidit. *At de altero ac præcipuo ista habet:* Ecclesia sanctorum Quadraginta Martyrum, prætorium erat. Tiberius verò Thrax cum Anastasiâ vxore, eductis inde captiuis, locum purgauit, & nouo posito fundamento, muros extruxit vsque ad altitudinem quatuor

B cubitorum. Quo mortuo, Mauricius eius gener Imperio potitus, structuram ecclesiæ absoluit, soliumque in eâ posuit. *Theophanes in Chronographiâ asserit* Mauritium anno Imperij VIII, *Christi* DXC, Indictione VIII, sanctorum Quadraginta Martyrum ecclesiam, à Tiberio exædificari cœptam, absoluisse.

*patrocinium implorarum à SS. Patribus:*

*Templa erecta in Phrygiâ,*

*& Constantinopoli duo.*

11 *Solennissimo Officio coluntur à Græcis ad* IX *diem Martij cum præclarissimis odis & canticis, quæ æque in Anthologio nouo, quàm in magnis Menæis continentur, additurq; martyrij eorum illustre ex Actis sumptum compendium; in cuius fine ista recitantur:* τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν συναξις ἐν ἁγιοπόλει αὐτῶν μαρτυρίῳ τῷ ὄντι πλησίον τοῦ χαλκοῦ τετραπύλου. Agitur festus illorum dies in sanctissimo ipsorum templo, quod est iuxta æreum Tetrapylum. *De Tetrapylo multa disputat Petrus Gillius lib.* 3 *Topographiæ Constantinopoleos cap.* 6, *dubitatq; num vrbs duo tetrapyla habuerit vnum aureum, alterum æreum, an dumtaxat vnum, quod fuerit primò aureum, dein auro sublato æreum remanserit. Extra vrbis Constantinopolitanæ mœnia fuisse conseruatas horum Martyrum reliquias, ac cælesti apparitione inuentas, atque in templo S.Thyrsi, procurantibus S. Proclo Patriarchâ & S.Pulcheriâ Imperatrice, depositas, infrà ex Sozomeno referimus. De S. Thyrso & socijs Martyribus egimus* XXVIII *Ianuarij.*

*Cultus solennis apud Græcos.*

*reliquiæ in templo suburbano.*

## § III *Reliquiæ, templa, veneratio horum Martyrum apud Latinos. Nomina singulorum.*

12 *Non minorem in Ecclesiâ Latinâ obtinuêre venerationem* XL *hi Martyres, quibus S. Gaudentius*

C *Brixiæ extruxit basilicam, & in eius dedicatione suprà memoratam homiliam habuit, ex quâ ista hic describimus:* Iam quid de Quadraginta Martyribus dignum loquar, qui se itineri meo, cùm per vrbes Cappadociæ Hierusalem pergerem, fideles comites præbere dignati sunt? In ipsâ enim maximâ Cappadociæ ciuitate, quæ appellatur Cæsarea, vbi habent ijdem beatissimi insigne Martyrium, reperimus quasdam Dei famulas, monasterij sanctarum Virginum dignissimas Matres, prorsus Mariæ & Marthæ consimiles, quas meritò diligat Iesus, naturâ, fide & studio & castitatis integritate germanas: quibus ab auunculo suo, Sacerdote ac Confessore Basilio, olim traditæ fuerunt horum Martyrum venerandæ reliquiæ: quas desiderio nostro incunctanter ac fideliter tribuerunt], idoneos veneratores tanti nos esse muneris approbantes, simulque sub testificatione Domini confitentes, se semper orasse Deum nostrum, vt hæc tam pretiosa possessio in tales transfunderetur hæredes, qui eas consimili fide diligentiâque imitarentur, qui studij ac venerationis ipsarum & successores & augmentatores existerent, & transmigrationem de hoc mundo suam quotidie expectarent. Exaudita est ecce fidelis oratio venerabiles ipsas Martyrum Quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus perpendendas: licet eis ex illo iam tempore celebritas debita numquàm defuisse nostri cognoscatur officij, præclaris eorum beneficijs salutariter mancipata.

*S.Gaudentius reliquias, à nepotibus S.Basilij acceptas,*

13 *Relatâ dein historiâ passionis ista sub finem addit:* Cùm cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluuium iacerentur, non defuerunt religiosæ manus, quæ partem cineris vel furto eriperent, vel pretio compararent. Hinc & Ecclesia Cæsareensis exultat, & nostra fraternitas non immeritò gloriatur, reseruatum sibi prouidentiâ Dei salutare munus intelligens. Portionem reliquiarum sumpsimus, & nihil nos minùs possidere confidimus, dum totos Quadraginta in suis fauillis honorantes amplectimur. Sicut illa in Euangelio fidelis mulier, quæ per fimbriam Christi saluata est, oram tenuit vestimenti, & virtutem Diuinitatis exegit: attactu fimbriæ medelam credenti fides traxit, & salutem quam præsumpserat, acquisiuit. Itaque pars ipsa, quam meruimus, E plenitudo est: diuidi enim Quadraginta isti Martyres ab inuicem nullo modo possunt, quorum sunt inseparabiles & indiscretæ reliquiæ. Nam sicut animas eorum igneus ille Spiritus Dei, salutaris fidei vnitate coniunxit (erat enim omnium credentium cor vnum & anima vna) ita etiam membra eorum concremans ignis in vnum fauillæ corpus redegit. Habemus ergo & hos Quadraginta & prædictos decem Sanctos ex diuersis terrarum partibus congregatos, vnde hanc basilicam eorum meritis dedicatam, Concilium Sanctorum nuncupari oportere decernimus. Dignum est enim, vt ad tantorum Martyrum venerandas reliquias processuri, ad concilium Sanctorum nos procedere fateamur. Tot igitur iustorum patrocinio adiuuandi, totâ fide omnique desiderio supplices, secundùm eorum vestigia curramus, vt ipsis intercedentibus, vniuersa, quæ poscimus, adipisci mereamur, magnificantes Christum Dominum, tanti muneris largitorem. *Hæc S.Gaudentius, in historicâ relatione martyrij secutus S.Basilium; in quo cùm cinerum in fluuium proieciorum miraculosa conseruatio deesset, aliam suam coniecturam de hisce reliquijs in aquas non proiectis dedit, dum* partem cinerum vel furto ereptam, vel pretio comparatam, *vti sæpe solebat fieri, indicauit.*

*Brixiam detulit:*

*templum illis erectum Concilium Sanctorum appellat.*

14 *Romæ duo hisce* XL *Martyribus erecta sunt templa; arreptam occasionem ex reliquijs, quas S.Gaudentius Romanis dedisset, arbitratur Octauius Pancirolus in Thesauro abscondito vrbis Romanæ, regione* 8, *ecclesiâ* 11, *vbi trans Tiberim fuit primum horum Martyrum templum, datum Confraternitati Recommendatorum B. Mariæ Virginis, Consalonis nuncupatæ, & anno* MDCVIII *innouatum, picturisque martyrij horum* XL *Sanctorum illustratum; soleaque quotannis, die illorum certamini dicato, pro maiori solennitate distribui eleemosyna panum ac fabarum. De hac Confraternitate legi possunt litteræ Apostolicæ Gregorij* XIII *tomo* 2 *Bullarij num.* 38. *Alterum templum est regione* 14 *di Pignas cognominatâ, vbi hæc ecclesia* 2 *est, data Confraternitati Stigmatum S.Francisci. Eandem horum Martyrum in Ecclesiâ Latinâ antiquam venerationem indicant Breuiaria Romana tam manu exarata, quàm mox atque typis excudendi libros inuenta ars fuit, impressa: ex his habemus anno* 1479, 1490 *& sequentibus extusa, in quibus omnibus, etiam MSS. historia martyrij in sex lectiones, quæ ad Matutinum recitabantur, distributa continetur: quæ dein historia, cùm Breuiarium iussu Pij V è decreto Concilij Tridentini recognitum ederetur, tribus lectionibus secundi Nocturni*

*Romæ duo templa ijs extructa;*

*Veneratio in antiquis Breuiarijs.*

A SVB LICINIO IMP. X. MART.

*Eturni absoluenda, fuit contracta & hactenùs, sed aliquâ mutatione introductâ, de quâ infrà agendum, constanter obseruata. In Breuiario etiam à Cardinali Quignonio abbreuiato tertia Lectio de hisce XL Martyribus recitanda præscribitur. Oratio propria in omnibus planè Breuiarijs eadem assignata, etiamnum eadem legitur.*

*& Martyrologijs ad 9 & 11 Martij*

15 *Natalis horum Martyrum celebratur in omnibus planè Martyrologijs Latinis aut IX Martij aut certè XI eiusdem. Præit antiquissimum MS. S. Hieronymi his verbis:* VII Idus Martij. In Armeniâ Sebastiæ militum XL, quorum gesta habentur. *Hæ gesta Beda habuit, & ex illis illustre encomium inseruit Martyrologio suo, cuius genuinum exemplar hactenùs ineditum ista habet:* VII Idus in Sebaste, in Armeniâ minore, quadraginta militum, tempore Licinij Regis sub Præside Agricolao, qui post vincula & carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum, vbi gelu constricta corpora eorum nocte disrumpebantur, & manè crurifragio martyrium consummarunt. Deinde corpora eorum combusta, & in fluuium proiecta sunt: sed diuinâ dispensatione reliquiæ sunt eorum integræ repertæ, & honore digno conditæ. Erant autem nobiliores inter eos Quirion & Candidus. *Quæ eisdem verbis referuntur in MSS. Martyrologijs Tornacensi S. Martini, Lætiensi in Hannoniâ, Leodiensi S. Lamberti, Aquisgranensi & Vaticano Ecclesiæ S. Petri: quæ Martyrologia sunt sub nomine Bedæ, sed à posteris aucta insertis aliorum Sanctorum nominibus. Eadem habet Rabanus* IX *Martij, & paucis omissis Vsuardus. Plura tradit ex Actis Ado cum*

B *nominibus Martyrum, quæ in Beda excuso adiecta. Notkerus, & iterùm Rabanus* XI *huius, longum encomium habent, & præterea omnes nominatim recenset Rabanus ad* V Idus Septembris, temporibus Licinij Imperatoris & Agricolai Præsidis & Lysiæ Ducis passos, *sed quod miramur,* Romæ *tribuuntur, forsan quod eo die aut sint eò reliquiæ illorum translatæ, aut aliquod illis templum dicatum.* Nunc *ex* IX *Martij, ob festum duplex S. Franciscæ Romanæ, solennitas horum Martyrum, quod & fecimus, est in sequentem diem translata. Omittimus posteriorum auctorum Martyrologia recensere.*

*& 10 Martij*

16 *Nomina Martyrum adiungo, quæ ordine diuerso à varijs collocantur, & ferè conueniunt apud Metaphrasten, & in Menæis & Anthologio Græcorum cum Adone & nonnullis Latinis. Infrà in primis Actis sub finem nomina magis corrupta recensentur errore amanuensium, quæ ipsis Actis posteà videntur adiecta. Qui* nobiliores *suprà ferunturpræerant alijs,* Quirion *in psalmodiâ & orationibus,* Candidus *in responsionibus dãdis.* Quirion *ab alijs* Cyrion, Cyrius, *&* Cyrinus *dicitur.* Candido *ad respondendum in Actis alijs; & apud Lipomanum datur socius* Domnus, *alijs* Dominus. *Quartus in Actis nominatur* Meliton, *quibusdam* Militon, Mellitus, Melicius: *quem seminuium deseruit, generosa mater ad reliquos Martyres portauit. Alij hisce nominibus referuntur:* Domitianus, *qui &* Domicianus *&* Diometianus *scribitur,* Eunoicus, *aliquibus* Eunoichus, *& magis corruptè* Eunomius *&* Euodius. Sisinius *siue* Sisinnius. Aeraclius *siue* Eraclius, *&*

C *corruptè* Eradius & Erachilis, Alexander, Ioannes, Claudius, Athanasius, Valens *satis constanti apud omnes lectione, pro* Claudio *tamen* Cladius *reperitur, & pro* Valente *alibi* Valerianus *ponitur.* Helianus, *siue* Elianus. Ecdicius, Editius, Etdicius, Hecdicius *&* Deditus. Acacius, Achacius *&* Accacius. Vibianus, Bibianus, Biuianus, Viuianus *&* Iulianus, *Græcis* Βιβιανός. Helias, Helius, Heluius *& alter* Helianus, *Græcis* Ἡλίας. Theodulus, *&* Theodorus, *Græcis* Θεόδυλος. Cyrillus, *alicubi* Quirillus. Flauius *nonnemini* Flauianus. Seuerianus *alibi* Seueriacius, *pro quo etiam* Meander *&* Nicander *ponitur.* Valerius *vbique eadem scriptione.* Chudion, *alibi* Chudius *&* Cadonius. Sacerdon, *siue* Sacerdos *&* Sacerdonius. Priseus, *pro quo vitio amanuensium alibi* Dianius *legitur.* Eutychius *&* Eutyches *duo diuersi, Græcis* Εὐτύχιος *&* Εὐτυχὴς, *quorum alter apud Bedam omissus, alijs* Eutycius, *&* Euticius, *alicui* Euatius *est.* Smaragdus *alicubi* Zmaragdus *&* Vmerandus. Philoctimon *aliquibus* Philocinion, Filoctimus *&* Vlloctemonius. Aërius, *alijs* Aëthius, Ethius, Etius, Ecius, Aërius. Nicolaus, *varijs* Micallius, Michallius, Nichalius, Nicallianus, *Græcis* Νικόλαος. Lysimachus, *aliquibus corruptè* Lisimachus, Lisimmachus, Lisanacus, Bysimachus. Theophilus *nullâ vsquam mutatione.* Xanthias, *alijs,* Xanthius, Xandius, Xanctius *&* Sanctinianus. Angias, *alijs* Aggias *&* Aggius *nonnemini* Candidus, *Græcis* Ἁγγίας. Leontius *omnibus idem est.* Hesychius, *alijs* Hysichius, Hysitius, Isitius, Eficius, Vsitius *est, Græcis* Ἡσύχιος. Caius, Gaius, Gaias, Cauius *etiam dicitur. Demum* Gorgonius *etiam* Gordianus *nominatus legitur. Apud Rabanum ad* IX *Septembris desunt* Domnus *&* Smaragdus, *eorumque loco leguntur* Iuuenalis *&* Basilides. *Sed ne nimis operosè diligentes videamur, omittimus quo ordine quidue scriptione apud singulos auctores aut in varijs MSS. recenseantur. Præposuimus illos, quorum dicta factaque in Actis memorantur, quibus reliquos addimus eo ordine, quo ab Adone alijsq; Latinis proponuntur.*

D

## § IV *Genus supplicij in stagno his* XL *Martyribus illatum.*

17 *Quod supplicij genus hi Martyres in stagno subierunt, hic examinandum duximus: num scilicet stantes supra glaciem, solo frigore cruciati sint; an verò corpora eorum nuda aquæ frigidæ imposita fuerint, & glacie accedente attrita. Acta infrà ex MS. Gladbacensi num.* 7 *ista habent:* Tunc iubet Præses alligari eos, & funes mitti in ceruicibus singulorum, & adduci omnes simul in stagnum habentem aquam multam. Tempore autem illo, quando Sancti martyrizabantur, habebat glaciem magnam. Adducentes autem eos statuerunt in medio stagno nudos in glacie. Erat autem ventus frigidus & hora noctis proxima. *Verùm absque mentione glaciei ista referuntur in alijs MSS. his verbis:* Iussit ergo Præses vinctos, & in colla eorum funibus missis duci simul omnes ad stagnum. Est enim in Sebastiâ stagnum habens aquam multam. Illo verò tempore, quo Sancti passi sunt, habebat frigus nimium & adducentes eos statuerunt in medio stagni nudos. Erat autem & tempus hyemis, & hora acrior: ad vesperum verò erat iam dies. *Quæ apud Lipomanum ita exponuntur:* Tunc Præfectus imperauit, vt funibus omnes vincti in lacum traherentur. Est enim apud Sebasten lacus, in quo est magna aquæ copia. Et quo tempore sancti Martyres cruciabantur, vehemens erat frigoris vis. Nudi igitur in medio lacu sunt constituti, cùm hiems esset & diei hora acerbissima: iam enim vesper appetebat. *At Ioannes Diaconus infrà num.* 12 *ista ex Græco vertit:* Tunc Agricolaus furibundus præcepit eos funibus collo tenus ligari, & ad stagnum pertrahi, quod secus Sebastiam plurimis redundabat aquis, ibidemque illos proijci nudos: illis enim diebus tantâ glacie coagulabatur ac si tempus hyemis esset... Mox autem ministri iussa complentes, miserunt Sanctos in medium stagni. Sed quia inclinata dies procliuior erat ad vesperam, quando Martyres sunt aquis impressi (*siue vt MS. Capuanum habet,* sunt aquis ingressi) necdum noctis hora prima præterierat, & Sanctorum corpora niuali tabescebant algore, ita quippe vt caro eorum exangui quodam distenta tumore altiùs scinderetur. *At variante lectione alibi habetur,* caro eorum & sanguis, *siue* caro eorum exanguis cruore. *Quæ vltima in MS. Gladbacensi infrà num.* 8 *ita leguntur:* Horâ autem noctis primâ constringebat glacies Sanctos, & intumescentes carnes eorum disrumpebantur. *Quæ in alijs MSS. ita variantur:* Horâ autem primâ noctis constringebantur Sancti à glacie, & distentum corpus

*Aquis stagni Martyres immersi, glacie accedente constricti, dicuntur in Actis:*

E

F

pus

A pus corrumpebatur. *Ast apud Lipomanum ita transferuntur*: Horâ noctis primâ Sancti frigore cruciabantur, & corpora illorum disrumpebantur.

18 *His consentiunt Græca exemplaria: quorum aliquot sententias profert Vossius in scholijs ad orationem S. Ephræmi: ex quâ oratione pauca transcribo: ac primò dum cum tribus pueris Babylone in fornacem missis hos* XL *Martyres comparat, sic exclamat*: Illos flamma tamquàm ros illustrauit, *hos* verò purificauit amnis fluentum, τὸ ῥεῖθρον τοῦ ποταμοῦ, *at sæpissimè* τὴν λίμνην stagnum *appellat, & ad aquas, quibus impositi erant, allusit, vti hac sententiâ*: Non reliquit eos gratia superni auxilij; mentem eorum consolans in aquis, ἐν τοῖς ὕδασιν. *Et postea*; Μάρτυρες ἐνδοθεν τῶν ὑδάτων ἐνθαλαμευόμενοι, οὐ κατεπονοῦντο. Martyres intra aquas, quasi in thalamo suo diuersantes, non sunt submersi. *Ita* signum stagni *appellat* receptaculum eorum & suscipiendos *ait* hos Sanctos in medio aquarum μέσον τῶν ὑδάτων, & τὸ λίμνιον ὕδατος stagneas aquas *nominat. Græci in magnis Menæis & Anthologio similia habent*. Τρέχοντες πρὸς λίμνην κρυώδη, ὡς πρὸς θάλψιν. Currentes ad rigens stagnum, tamquàm ad oblectamentum. τῷ γὰρ ὕδατι τῆς λίμνης εἰσῆλθον θαρσαλέως, καὶ τῷ κρύει σφιγγόμενοι, τὴν ᾠδὴν ἀνέμελπον τῷ κυρίῳ· Μὴ ἐν ποταμοῖς ὀργισθῆς ἡμῖν, κύριε. Aquam enim stagni confidenter sunt ingressi, & dum frigore constringebantur, hoc canticum Domino dicebant: Ne in fluminibus irascaris nobis, Domine *&c. Quæ vbique in Actis ex Prophetâ Habacuc referuntur. Eodem modo antiqua Breuiaria Romana manu exarata, quorum aliqua citat Vossius, aliud penès nos est, ista habent*: Missi sunt in stagnum, vt gelu constricta corpora eorum nocte disrumperentur. *Consentiunt Breuiaria ante* CLXXX *annos & deinde excusa. In Breuiario iussu Clementis* VII *& Pauli* III *à Cardinali Quignonio concinnato verba suprà allata ita explicantur*: In stagnum missi sunt, instante brumâ, vt aquâ nocturno frigore concrescente, constricta ipsorum corpora dirumperentur: *In Breuiario iussu Pij V edito traduntur* in stagnum gelidissimum coniecti. *Accedunt omnia antiqua Martyrologia; in quibus dicuntur* in stagnum missi; *& hæc apud Bedam, Adonem, aliosque adduntur*: vbi gelu constricta corpora eorum nocte disrumpebantur.

*apud S. Ephræmum,*

*in Menæis & Anthologio Græcorum,*

*à nonnullis Breuiarijs,*

*& Martyrologijs.*

19 *Quæ dein diuinitus patrata miracula fuêre, Martyres in aquis fletisse confirmant. Ea ita in Actis ex MS. Gladbacensi infrà num.* 9. *explicantur*: Et cùm facta esset hora tertia noctis, sol illuxit super eos sicut in æstate calidus, & soluta est glacies, & facta est aqua calida. *Quæ in alijs MSS. ita referuntur*: Et circa horam tertiam noctis sol splenduit circa eos, feruens sicut æstate, & glacies dissoluta facta est & aqua calida. *Quæ apud Metaphrasten ita leguntur*: Circiter tertiam noctis horam sol eos circumfulsit, ita calidus vt est in æstate, frigusque dissoluit, & aquam calidam reddidit. *Ioannes Diaconus ista sic exponit*: Lapsa est super eos de cælo lux magna, & quasi per æstiuum solem sic, dissolutâ penitùs niue, incaluit aqua. *Quæ in antiquis Breuiarijs ita efferuntur*: Circa horam verò nonam resplenduit, velut sol, lumen feruens super eos, & glacies dissoluta est. *Similia leguntur in Martyrologijs Adonis, Rabani, Notkeri & alijs. Clauicularius hac luce & coronis de cælo delapsis, ad fidem conuersus, loco desertoris se alijs adiunxit, & abiectis vestimentis*, saliuit introiens in stagnum, *alibi* exiliuit in stagnum, *apud Lipomanum*, insilijt in stagnum, & ad eos insilijt. *Apud Ioannem Diaconum*, prosiliens proiecit se in lacum inter Sanctos. *In Græcis Actis apud Vossium* τῇ λίμνῃ ἐφάλλετο, & ἐιστεπήδησεν εἰς τὴν λίμνην, *id est, mutatâ phrasi*, insilijt in stagnum. *Ita in antiquis Breuiarijs ac varijs Martyrologijs dicitur* exilijsse in stagnum, *ex quo, vt Acta priora habent*, tracti ad littus educuntur, *aut* iubentur ad ripam trahi, *aut sicuti Ioannes Diaconus è Græcis vertit*, Principes iusserunt ex aquâ eos foras pertrahi. *Sed & Martyres in oratione fatebantur* aquas vsque ad animam intrasse.

*Frigore omnis sublato*

*incaluit aqua.*

*cui insilijt Clauicularius.*

*ex aquâ extracti Martyres.*

20 *Demum fluuium aliò amnem, qui vix vllius nominis apud scriptores agnoscitur vrbi Sebastiæ vicinus, non fuisse glacie constrictum, docent ipsa antiqua Acta num.* 13 *vbi torores* reliquias Sanctorum tulerunt, & proiecerunt in flumine, & collectæ sunt reliquiæ ad gurgitem vnum fluminis, & nihil earum perdidit fluuius. *Et* lucebant reliquiæ in aquâ fluminis, sicut luminaria in cælo, *dum monitus* Episcopus educeret de flumine. *Quin etiam, vt in alijs MSS. habetur*: fulgebant sanctorum Martyrum reliquiæ in aquæ profundo, sicut luminaria: ipsâ quoque aqua decurrebat super eas, sicut sub sinum fluuij habens eas. *Et apud Lipomanum*, Reliquiæ Sanctorum in aquâ tamquàm stellæ fulgebant. *Ea demum* in profundissimas aquas iactatas, *sed frustrà, insultatur tyrannis apud Ioannem Diaconum num.* 19. *Similia leguntur in magnis Menæis Græcorum, in Martyrologijs Bedæ, Rabani, Notkeri, Adonis alijsq;, & Breuiarijs suprà memoratis.*

*Reliquiæ in aquas fluuij coniectæ.*

21 *Petrus de Natalibus, qui ante trecentos circiter annos floruit, lib.* 3 *Catalogi cap.* 185 *egregium horum Martyrum edidit encomium, ex quo pauca hæc verba excerpo*: Missi in stagnum gelidissimum sunt, vt gelu constricta corpora eorum nocte superueniente dirumperentur... Circa horam noctis tertiam resplenduit, velut sol, lumen super eos, & glacies dissoluta est... Clauicularius se Christianum profitens exiliuit in stagnum... Ossa in fluuium sunt dispersa... Episcopus inuenit Sanctorum reliquias in alueo fluminis subtus aquas, sicut luminaria, splendentes. *Mombritius etiam, diligens Vitarum Sanctorum ante ducentos annos collector, tomo* 2. *Acta passionis horum Martyrum habet: in quibus ista leguntur*: Circa Sebasten erat stagnum habens aquam multam, quod tunc vehementer frigidum erat tempore hyemis. Positi sunt Sancti in medio nudi ad vesperum... Clauicularius exiliuit nudus in stagnum... Cineres iactati sunt in amnem, sed in loco præcipiti & vadoso restiterunt & congregati sunt, & nihil eorum imminuit fluuius... Viderunt reliquias in aquâ fulgentes, tamquàm luminaria, super quas aqua decurrebat, illarum nihil secum trahens.

*Eadem confirmantur apud Petrum de Natalibus,*

*Mombritius.*

22 *Gerardus Vossius in scholijs ad orationem S. Ephræmi varijs testimonijs allatis, sub finem ista habet*: Ita & in picturis non solùm Orientalium sed & Occidentalium hi sancti Martyres in stagno nudi depicti visuntur: sicut etiam Romæ in ecclesiâ XL Martyrum in regione Transtyberinâ in ecclesiâ item S. Stephani in monte Cælio, & in ecclesiâ S. Vitalis videre licet. Postremò probatur eadem veritas à consensione omnium nationum ac populorum. Ita hactenùs tenent ac semper tenuerunt non solùm Latini, sed & Græci, Syri, Chaldæi, Maronitæ, Armeni & quicumque Orientales alij. Credatur antiquissimis ipsorum Ecclesiasticis Officijs ac libris, Menæis, Troparijs ac Breuiarijs. Credatur Syrorum & Chaldæorum monumentis. Credatur Maronitis Chaldæorum Officium legentibus atque sequentibus. Credatur non solùm Armeniæ populis, idem de Sanctis hisce, quòd in stagno apud ipsos passi sint, adseuerantibus: sed & eorum antiquis Passionarijs atque Hymnarijs, idem prorsus continentibus. Credatur denique antiquissimæ in his traditioni Ecclesiæ, cui contradicere non licet. *Hæc aliaque Vossius, acer propugnator lectionis in oratione S. Basilij de his Martyribus repertæ* in longè antiquissimo MS. Græco exemplari Cryptæ-ferratæ Sub littera M. *quam* verè γνήσιον ac germanam *arbitratur, atque ita legit*: Ἐκέλευσε πάντας γυμνωθέντας ὑπὸ τὸ ἀίθριον ἐν μέσῃ τῇ λίμνῃ πηγνυμένους ἀποθανεῖν. Iussit omnes denudatos sub dio, in medio stagno congelatos mori. *Quam lectionem* incuriâ imperiti alicuius antiquarij deprauatam atque corruptam *eruditè censet, dum pro his verbis* ἐν μέσῃ τῇ λίμνῃ, in medio stagno, *positum est* ἐν μέσῃ τῇ πόλει, in mediâ ciuitate: *quod mendum passim adhuc est in codicibus S. Basilij hactenùs Græcè editis, aut Latinè translatis.*

*& Vossijs*

*ex antiquis picturis,*

*& traditione Orientis & Occidentis;*

*Stagnum erat non in ciuitate, sed prope eam.*



Digitized by Google

A *latis. Sed mox apud eumdem S. Basilium describitur* stagnum (circa quod ciuitas erat ædificata) in quo hæc martyrij certamina Sancti decertarunt. *Græcè* λίμνη περὶ ἣν ἡ πόλις κατῴκισται, ἐν ᾗ ταῦτα διήθλουν οἱ ἅγιοι. *Ita iam suprà* ad Sebasten, secus Sebastiam, circa Sebasten *legimus, & Græci in Menæis asserunt* condemnatos, pernoctare nudos in medio stagni, quod erat ante ciuitatem: μέσον τῆς λίμνης, ἧς πρὸ τῆς πόλεως. *Denique hic modus torquendi Martyres in stagno apud Sebastiam Armeniæ illo eodem tempore adhibebatur. Nam* S. Blasius Episcopus Sebastenus *eadem hieme, sub eodem planè Præside & tyranno Agricolao*, in lacum missus, signauit aquam, & mox stetit sicut arida. Eò sedente in medio lacus, ingressi sexaginta quinque viri mox demersi sunt in profundo aquæ... Tunc surgens B. Blasius ab aquâ & ambulans sicut in aridâ, egressus est. *Vti ea* III *Februarij in varijs Actis S. Blasij leguntur. Ita Græci in magnis Menæis & Menologio Basilij Imperatoris & alio à Cardinali Sirleto versio, colunt* XXVIII *Nouembris* S. Irenarchum sub Diocletiano Sebastiæ in lacuna coniectum ἐν τῇ λιμνῇ ἀπρεφθέντα.

SVB LICINIO IMP. K MART.

*in illud etiam iniecti S. Blasius,*

*& S. Irenarchus.*

23 *Hactenùs dicta planè conuincere videntur, corpora horum Martyrum vestibus exutis denudata, sub dio fuisse aquæ frigidæ stagni imposita, ac glacie accedente attrita. At S. Basilius infrà num.* 8 *ipsum frigus ac glaciem adeò verbis extollit atque exaggerat, vt* stagnum *tradat*, velut campum aliquem, planum agendisque equis accommodum fuisse effectum, & in continentem & firmam quasi terram redactum, liberam atque securam accolis super terga eius gradiendi viam præbuisse: fluuios verò à fluxu cessasse, teneramque aquæ naturam in lapidum duritiem transmutasse. *Interim num.* 12 *scribit.* Martyres adhuc spirantes, igni illuscente die traditos esse, & ignis reliquias in fluuium proiectas easque aquam excepisse: *vbi eas* diuinâ virtute adseruatas *& post triduum elatas præterit. Silet etiam:* horâ noctis tertiâ, luce de cælo lapsâ instar æstiui solis dissolutâ penitus niue, glacie ac frigore, aquam incaluisse. *Quæ tamen antiqua Acta constanter inculcant. Basilium secutus S. Gaudentius, asserit:* stagnum validissimo gelu durante iter solidum plaustris gementibus accommodasse, *ac* Martyres nudatos corporibus, religatos in aperti aëris pruinosâ duritie pernoctasse. *Interim addit*, cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluuium iactos fuisse. *Multus etiam est S. Gregorius Nyssenus in glaciei ac frigoris exaggeratione*, atque ita, *inquit*, mors eis paullatim ac sensim progrediens protrahebatur tribus diebus durans. *At contrà vnâ solùm nocte in stagno cruciatos fuisse Martyres Acta euincunt. Fuerunt sacræ illorum reliquiæ* tribus diebus *in flumine conseruatæ: quos forsan dies ad illorum cruciatus transtulit Nyssenus. Ob horum tamen Patrum auctoritatem aliqua in hodierno Martyrologio ac Breuiario Romano mutata sunt. Non cùm antè traderentur* in rigens stagnum missi, *aut* in gelidissimum stagnum coniecti, *nunc legitur*, suprà stagnum rigens pernoctare iussi. *Interim Lectiones ita etiamnum concluduntur:* Eorum reliquiæ proiectæ in profluentem, cùm mirabiliter in vnum confluxissent locum, saluæ & integræ repertæ, honorifico sepulchro conditæ sunt.

*Supra stagnum durâ glacie constrictum,*

B *Martyres cruciatos fuisse*

*tenuunt S. Basilius,*

*S. Gaudentius,*

*S. Gregorius Nyssenus.*

C

24 *His ita discussis, profecti Romam sumus, vbi de vrbe Sebastiâ, & lacu & accursu ægrorum sequens scriptum reperimus, quod hîc inserimus.*

Die vigesimâ octauâ mensis Decembris anno millesimo sexcentesimo primo, Reuerendissimus Iacobus Episcopus Eruan Armenus, ætatis octoginta annorum & ampliùs, in S. Mariâ Ægyptiacâ, solito Armenorum loco, Romæ ad tempus residens, honoris ergo fuit visitatus à Reuerendo Domino Gerardo Vossio, & inter alia, me Bartholomæo Abagaro præsente & interprete, interrogatus super varijs circumstantijs ciuitatis Sebastiæ minoris Armeniæ, & stagni siue laci, in quo Sancti Quadraginta Martyres ibidem martyrium gloriosum sunt passi. Sebastia qualis sit ciuitas? Respondit Episcopus supradictus, esse ciuitatem vetustam & amplam, continentem hoc adhuc tempore focos circiter quindecim mille, quæ sub se habet circa trecenta castella habitata circumcirca, & habent suum Vice-regem, siue Bassiam, à quo reguntur, in eadem ciuitate Sebastiâ residentem. An Sebastia sit figuræ orbicularis, an quadrangularis? Respondit Episcopus, ciuitatem veterem Sebastensem esse figuræ orbicularis, nouam autem (quæ iam amplificata est) esse hoc tempore quadrangularem, satis magnam circiter quindecim millium focorum. An ipse Sebastiæ fuerit, & lacum ibi viderit? Respondit Episcopus, se frequenter Sebastiam transiuisse, & lacum, in quo Quadraginta Martyres passi sunt, oculis proprijs vidisse.

*Situs & magnitudo vrbis Sebastiæ*

D

*& stagni vicini,*

De situ laci, eius magnitudine, ac formâ; Respondit Episcopus, lacum in quo passi sunt Quadraginta Martyres, situm esse non in ipsâ ciuitate, sed extra ciuitatem veterem, sed prope eam, quantùm distat Romæ ecclesia sancti Spiritus in Saxiâ à Basilicâ S. Petri; & sicut se habet mons Caluariæ in suo situ ad ciuitatem Hierusalem veterem, ita & lacus cum ciuitate vetere Sebastiâ. Quoad formam laci, seu stagni, dixit Episcopus esse figuræ orbicularis, sed exire aliquantulùm, & brachium vnum in longum facere. An aliquod signum sit circa lacum, in quo Martyres sunt passi, & quodnam ibi signum appareat? Respondit Episcopus, ibi extare signum quoddam, seu petram grandiusculam ad lacum, quo in loco Martyres constitisse, & martyrium in congelatione aquæ affirmantur esse passi, & ibidem ex deuotione populorum sæpe quadraginta cereos accendi, multosque illum lacum frequentantes, varijs languoribus atque infirmitatibus liberari, sicut ipse præsens vidit.

E *vbi 40 cerei sæpe accenduntur, & ægri sanantur,*

An etiam Turcæ infideles ipsum lacum frequentent? Respondit Episcopus, illum etiam à Turcis, & infidelibus in suis languoribus & infirmitatibus sæpè visitari, & multos ex illis sæpe sanari, ac etiam secretò post sanitatem ibi miraculosè recuperatam, sacrum baptisma suscipere & Christianos fieri; multaque indies miracula apud eumdem lacum meritis Sanctorum Quadraginta Martyrum videri.

*etiam infideles:*

Cæsarea Cappadociæ quantum distat à ciuitate Sebastiæ Armeniæ? Respondit Episcopus distare itinere quatuor bonorum dierum. Edessa patria sancti Ephræm quantùm distat à Sebastiâ? Respondit Episcopus Edessam Syriæ distare inde itinere septem, vel octo dierum, aut circiter.

*distantia Sebastiæ à Cappadocia & Edessa?*

Ad omnia supradicta interrogata ita per me Bartholomæum Abagarum interpretem Armenum respondit supradictus Episcopus Armenus: ita attestor ego idem Bartholomæus Armenus manu propriâ die & anno vt suprà.

F

## COMPENDIVM MARTYRII

### *Translatum ex linguâ Armenâ per Bartholomæum Abagarum Armenum*

1 SAnctorum gloriosa Quadraginta Martyrum nomina hæc sunt, *a* Domitianus, Cyrillus, Oualenus, Isicius, Eunuchus, Elianus, Flauius, Smaragdus, Kilandrus, Sisinius, Leontius, Melithon, Seuerianus, Philothenus, Anceus, Eraclius, Epichius, Addius, Iomnas, Cirion, Alexander, Acatius, Valerius, Nicolaus, Euticius, Ioannes, Bibianus, Chution, Lysimachus, Caius, Illitus, Athanasius, Priscus, Candidus, Sacerdon, Gorgonius, Theodulus, ac Theophilus. Erant illi ex regione Cappadociæ, & omnes merebant sub Licinio impio Rege: itaque Agricolaus Iudex iussit duci eos ad ciuitatem Sebasten, & magnis cruciatibus cogebat eos immolare

*Nomina Martyrum: a*

*Constantes in fide,*

Digitized by Google

A lare dijs, & nullo pacto potuit separare eos ab amore Christi, & eius fide: & sic detrudi iussit eos in carcerem, & orantibus illis apparuit Saluator, & corroborauit eos. Et post dies octo venit Prætor à Cæsareâ, & sederunt simul, & palàm ante se iusserunt duci, & interrogabant eos de Christi fide, an vellent nègare, an sacrificium dijs offerre: & iusserunt ora eorum obtundi lapidibus, & cœperunt milites alter in alterum lapides conijcere, & accipiens impius Prætor lapidem iniecit in Sanctos, sed percussit Iudicem, & faciem eius vulnerauit, & iussit eos duci in carcerem, & vacabant orationi. Iterùm apparuit eis Saluator, & ait? Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Confortamini, & nolite timere eorum malos cruciatus, quia adhuc parùm superest temporis. Expectate adhuc paullulùm, & è cælo vobis venient coronæ. Et manè statuerunt eos ante satellitem, cui dixerunt: Quod facturi estis facite, quia nolumus nos Christum negare. Tunc vinxerunt manus & ceruices vinculis, & ad lacum eos duxerunt, & exutos in aquam miserunt hiberno tempore, & inglaciente lacu, vehementer torquebantur corpora eorum in magnâ glacie, & eorum versabatur sanguis super pedes suos in primâ vigiliâ noctis, & Sancti non cessabant orare. Et ex eis vnus non potuit ferre glaciem; qui exiens ex lacu in balneum se transtulit, quem præparauerant impij; & B sic ex calore destructa est glacies: & circa horam tertiam refulsit sol feruens super eos, & glacies resoluta est, & vnus ex militibus, qui custodiebant Sanctos, & solus vigilabat, mirabatur, vnde eorum lux haberetur & videbat super Sanctos coronas descendentes triginta nouem, & nouit quomodo vnus ex numero quadraginta in balneum transierat; & exuens se indumentis properauit in lacum ingressus in medium Sanctorum, clamans & dicens: Etiam ego Christianus sum. Et summo manè traxerunt eos ad ripam lacus, & ingenti ferro crura & dorsum ac ossa eorum fregerunt vehementer, & omnes simul animas suas ad Deum emiserunt die nona Martij. Sed vnus, nomine Milithon, adhuc superuiuebat, & mater eum togans hortabatur, dicens: Dulcissime fili mi, modicum sustine, & tu cursum perficies cum Sanctis: noli timere, quia iam Christus in auxilium tuum stat. Et cùm duxissent vehiculum, & posuissent corpora eorum desuper ad comburendum, Melithonem, quia adhuc viuebat, reliquerunt, & mater tollens super humeros filium suum, virili gressu, sequebatur. Is gaudens emisit spiritum & proiecit eum mater super Sanctos. Et postquàm combusserint corpora eorum, in proximum fluentem proiecerunt, & nullo modo dissipata sunt corpora eorum, sed in vnum coaluerunt, & post tres dies apparuerunt Sancti Petro Episcopo Sebastes, & dixerunt: Corpora nostra conseruantur in C fluente; ibis illuc, & abstrahes nos. Exiens Episcopus secretò ab ecclesiâ, nocte adiuit ripam fluminis, & micabant Reliquiæ Sanctorum in medio aquarum sicut astra: collegit, & si aliquid remanebat ex reliquijs, signo luminis inueniebatur, & accipiens posuit in arcam. Qui es corona Sanctorum tuorum, istorum intercessione, Christe, miserere nostri.

*à Christo inter verbera animatur:*

*missi in aquam glaciem frigidam,*

*calore celesti mirgatam:*

*post ascensum custodis*

*extracti ex aqua occidantur;*

*corpora combusta in aquam proiecta,*

*conseruantur.*

a *Desunt duo Martyrum nomina, & sunt* Eutyches & Xanthias, *aut certè* Claudius, *nam pro alterum* Kalandrus *hic legitur. In nonnullis alijs nomina satis discrepant. Ita qui in titulo sunt* Domnus, Eunoicus, Valens, Ecditius, Helias, Aëtius, Angias, *hic appellantur,* Iomnas, Oualenus, Epichius, Illitus, Addius, Anceus. *Reliqua nomina aut eadem sunt, aut via differunt.*

# ACTA MARTYRII

## Ex MSS. Gladbacensi & Antuerpiensi, collata cum alijs codicibus MSS.

### CAPVT I

*Martyrum comprehensio, & inter oblatos honores & minas constantia.*

1 IN tempore igitur Licinij Regis erat persecutio magna Christianorum: & omnes, qui piè viuebant in Christo, cogebantur sacrificare dijs, Agricolao agente in Sebastiâ præsulatum impium, & crudelem executorem & velocem diaboli administratorem. Milites verò omnes, qui erant in militiâ, cogebantur sacrificare dijs. Erant autem quadraginta milites de Cappadociâ regione, in numero vno viuentes venerabiliter secundùm Deum, inuicti & fortissimi in bello *b*. Hi comprehensi à Præside cogebantur sacrificare dæmonibus. Cœpit autem Præses dicere illis: Consensum vestrum ostendistis in bello omnibus per vnanimitatem concordiæ & victoriam: omnes vos vniuerso exercitui præfuistis: ostendite ergo & nunc consensum B vestrum, & consentite legibus Regum, & sacrificate dijs ante tormenta. Responderunt Sancti & dixerunt ad Præsidem: pro mortali Rege pugnantes vincebamus, sicut & tu nosti: quantò magis pro immortali certantes, vincemus tuam malignam voluntatem? Agricolaus dixit: Vnum e duobus propositum est vobis aut sacrificare dijs & honorem magnum habere, aut non sacrificantes amoueri à cingulo & à militiâ. Cogitate ergo & eligite quod vobis expediat. Sancti responderunt: Quid nobis expediat Dominus prouidebit. Præses dixit: Nolite mihi multiloquia adducere, sed crastinâ die accedentes sacrificate dijs. Et iussit eos mitti in carcerem. Intrantes autem Sancti in carcerem, flectentes genua deprecati sunt Dominum dicentes: Eripe nos, Domine, à tentationibus, & ab scandalis operantium iniquitatem.

2 Cùm autem serò factum fuisset, cœperunt psallere hunc psalmum: Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, sperabo in eum &c. Et cùm complessent psalmum, orauerunt. Et exurgentes iterùm psallebant, vsque in mediam noctem. Prior autem eorum erat *c* S. Quirion; ad responsum autem reddendum erat B. Candidus *d*. Et apparens eis *e* Saluator dixit: Propositum vestrum bonum est, sed qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Omnes autem F audierunt hanc vocem & facti sunt in timore, & sine somno perseuerauerunt vsque ad lucem.

3 Conuocans autem Præses omnes amicos suos, iussit adduci Sanctos. Et venientes omnes quadraginta steterunt ante Præsidem, & cœpit eis dicere Præses: Quæ habeo vobis dicere, dico in facie sicuti est. Quicumque milites sunt sub Imperatore, non sunt sicuti vos, nec sic laudati, nec sic amicissimi nobis. Nolite ergo amorem in odium vertere. Hoc enim in vobis est, vtrùm vos velitis odire, an diligere. S. Candidus dixit: Aduersùs mores tuos & nomen tibi impositum est Agricolaus, hoc est, aggrestis *f* blanditor. Præses dixit: Numquid non dixi, in vobis est, vtrum vos volitis odio habere an diligere? Candidus dixit: *g* Eò quòd in nobis est odire & diligere, te enim odimus & Deum diligimus. Tu ergo alienè à Deo, cùm oderis, ne velis diligere, impie, inuide nec nominande. Audiens hæc autem Præses rugiens tamquàm leo, iussit

EX MSS

*a In persecutione Licinij*

40 *milites Cappadoces*

*b*

*inter minas & blanditias constantes,*

E

*carceri includuntur*

Psal. 90.

*à Christo inuisitantur:*

*c*

*d e*

*euocati, gratiam Præsidis spernunt*

*f*

*g*

A sit alligari eos & tractos duci in carcerem. S.Quirion dixit: non accepisti potestatem trucidandi nos, sed interrogandi nos tantùm. Tunc timens Præses iussit eos duci in carcerem, præcipiens Clauiculario, *h* diligenter custodire eos. Expectabat enim & Ducis aduentum. Die autem & nocte docebat eos S.Quirion. Dicebat autem eis: Secundùm dispositionem Dei, amici fuimus in militiâ hac temporali: non ergo separemur ab inuicem, sed sicut viximus vnanimes & concordes, sic martyrizemur; & sicut hic optimi fuimus, & paruimus Regi temporali, sic festinemus inueniri in conspectu Regis Dei.

EX MSS *reducuntur in carcerem:* *h*

4 Cùm transissent autem dies septem, & Sancti essent in carcere, superuenit Dux à *i* Cæsareâ in Sebastiam: Et sedens cum Præside, octauo die iussit adduci Sanctos. Et cùm adducerentur, monebat eos S. Quirion, dicens: Fratres, stemus viriliter & adiuuemus nos inuicem. Nonne cùm in bello iremus, inuocabamus Dominum, & ipse nobis auxilium præstabat, & vincebamus? Commemoramini quando commisimus in maiori bello & omnes fugerunt, & nos soli in medio eorum inuenti sumus, nos tantùm quadraginta: & cum lacrymis inuocauimus Dominum & dedit nobis virtutem, & quosdam eorum occidimus, quosdam in fugam vertimus, & vnus de nobis B non est læsus à tanto populo. Et nunc tres aduersarios habemus qui nos debellant, Sathan & Ducem & Præsidem, & hi tres vnum sunt: & ab his tribus vinci habemus? Absit. Nolite, obsecro vos: inuocemus, sicuti semper, & nunc Dominum, & non dominabuntur nobis tormenta, neque pœnæ, neque vincula. Nonne semper cùm iremus ad bellum vel ad pugnam, dicebamus hunc psalmum: Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tuâ libera me. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei? Et nunc hunc dicamus psalmum, & exaudiet nos, & adiuuabit nos. Et cùm ducerentur ad tyrannum, hunc dicebant psalmum.

*i* *aducendi animantur à S. Quirione.*

Psal.53.

5 Et omnes conuenerunt ad spectaculum; & cùm stetissent ante Ducem & Præsidem, aspiciens ad eos Dux dixit: Hi suaderi volunt, vt maiorem honorem consequantur, *:* habetis à me honores magnos & dona multa plusquàm alij; de cetero vnum de duobus propono vobis, aut immolantes dijs, dona multa & honores consequi à me; aut non obedientes moueri à cingulo & à militiâ, & tradi in pœnis. B. Candidus dixit: *k* Suscipe cingulos nostros & corpora, neminem habemus honorabiliorem & digniorem Christo. Tunc iussit Dux facies eorum lapidibus cædi. Candidus dixit: Dux tenebrarum & doctor iniquitatis, incipe hoc facere, & videbis pœnam tuam. Fremens autem Præses aduersùs milites, qui ministrabant, dixit: O mali ministri, quare non celeriùs facitis, quæ vobis C iubentur. Tollentes autem lapides ministri seipsos cædebant. Cùm autem factum fuisset, Sancti Dei fiduciam acceperunt in Domino. Commotus autem Dux in furore tulit lapidem, vt percuteret aliquem de Sanctis in faciem: & percutiens maxillas Præsidis Dux, confregit illi faciem. Et ait S.Quirion: Domine, qui expugnant nos inimici nostri, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Verè gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Præses dixit: *l* per deos, magica ars præualuit in eis; per impudicas enim phantasias loquuntur aduersùs Dominos suos iniquitatem, & ignominia repleuit nos, vt non sentiant tormenta nostra, sed ad nosmetipsos retorqueant. Responderunt Sancti: Obscurate diabole, & aliene ab hæreditate Christi, redde commissor scandalorum; caput diaboli tu es Agricolae, cauda est chiliarchus Dux qui tecum est, qui ambo ministri estis sathanæ. Si autem non cognouistis ab initio tormentorum, præsumite vobis & alia. Ministri autem dixerunt ad Sanctos: Stulti & omni benignitati deorum inimici, quare non sacrificatis dijs. Et S.Quirion dixit: Nos vnum Deum colimus, & Iesum Christum Filium eius, & Spiritum sanctum, qui potens est os nostrum dirigere ad veritatem: vt accipiamus coronas incorruptibiles, vincentes vestram malignam adinuentionem. D

*inuicti inter oblatos à Duce Lysia, honores & minas:*

*k*

*Lapidibus in tortores resilientibus illæsi:*

Ps.26,3. Ps.36,14.

*l*

*fidem liberè profitentur*

a *In alijs MSS. præponebantur nomina Martyrum, quæ sub finem hic collocantur, & sic incipiunt:* In Sebastiâ ciuitate martyrio consummati sunt: quorum nomina hæc sunt Domitianus... Hi omnes simul XL passi sunt temporibus Licinij Imperatoris, & Agricolao Præside & Lysiâ Duce. *Qua assuta videntur. Et tum sequebatur:* Temporibus Licinij Imperatoris erat persecutio magna. *Hic dicitur* Licinij Regis *more Græcorum.*

b *Apud Lipomanum hoc loco inseruntur nomina Martyrum.*

c *Alijs* Cyrion. d *In aliquo MS additur,* & S.Domnus.

e *In MS. Gladbacensi errore amanuensium legebatur* S.Candidus.

f *Græcè κόλαξ, adulator.*

g *S. Ephrem hæc ita refert:* Deum diligimus, te autem odio habemus: nobis verò cùm sis odio, noli diligere nos.

h *In alijs MSS. vocatur* Aglaus, Aglaius *&* Aglaccus.

i Cæsarea Cappadociæ, *vt in alijs additur.*

k *S. Ephrem:* Sume zonas nostras, accipe & corpora: nobis enim nihil optabilius Christo est. *Quæ deinceps amplificantur.*

## CAPVT II

### *Tormentum stagni congelati toleratum. Miraculosa substitutio custodis in locum vnius deficientis.*

6 TVnc Dux iussit eos duci in carcerem vt consiliaretur quid de ipsis faceret. Missi ergo in carcerem, cœpit S. Quirion psallere cum commilitibus suis. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorùm, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ; & quæ sequuntur exequentes, psalmum per ordinem psallebant. Et vox facta est ad eos, & manifestauit se eis Christus Saluator, & dixit: *a* Qui credit in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, si mortuus fuerit, viuet. Confidite & nolite timerè pœnas eorum; temporales sunt enim. Patientes estote modicùm, vt coronemini. Agebant autem ipsam noctem in exultatione & delectatione Christi.

*Reducti in carcerem,* Psal.122

*a* *à Christo apparente animantur:* Ioan.11.

7 Manè autem facto iussit eos Dux educi de carcere. Et adducti stantes ante tyrannum dixerunt ei: Quæ habes facere, fac. Apparuit autem & diabolus, in dexterâ manu tenens gladium, in sinistrâ autem draconem. Dicebant autem ad aurem Agricolai: Meus es tu, viriliter certa. Tunc iubet Præses alligari eos, & funem mitti in ceruicibus singulorum, & adduci omnes simul in stagnum habentem aquam multam. Tempore autem illo quando Sancti martyrizabantur, habebat glaciem magnam. Adducentes autem eos statuerunt in *b* medio stagno nudos in glacie. Erat autem & ventus frigidus & hora noctis proxima, ad vesperam enim erat. Et constituerant super eos custodes milites, & Clauicularium iuxta stagnum. Erat autem & lauacrum de quo calefierent: vt si quis eorum voluisset præuaricari, refugeret ad lauacrum caloris, & calefaceret se. F

*nudi mittuntur in stagnum congelatum*

*b*

8 Horâ autem noctis primâ constringebat glacies Sanctos, & intumescentes carnes eorum disrumpebantur. Vnus autem de numero ipsorum deficiens animo, dubitauit, & refugiens ad lauacrum cùm attigisset calorem, statim dissoluta sunt membra eius, & confestim reddidit spiritum. Sancti autem videntes illum, quia defecit, dixerunt tamquàm ex vno ore, vnâ voce: Non in fluminibus irasceris nobis, Domine, aut in fluminibus furor tuus, aut in mari impetus tuus. Quia qui separatus est à nobis, sicut aqua effusus

*vno deficiente, & mox moriente.*

Digitized by Google

A sus est, & dispersa sunt omnia ossa eius: nos autem non discedimus à te, donec viuifices nos, & nomen tuum inuocabimus: quia te, Domine, laudat omnis creatura, dracones & omnes abijssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum tuum: qui ambulas super mare sicut per arida, & eius ferocitatem spiritu manus tuæ mitigas: & nunc tu es, Domine, qui exaudisti Iacob orantem te cùm fugeret minas Esau: qui cum Ioseph venundato fuisti & saluasti eum: qui exaudisti Moysem, cùm daret signa & prodigia in Pharaone & in omni populo eius, & disrupisti mare, & in deserto transtulisti populum tuum: qui exaudisti sanctos Apostolos tuos, Domine exaudi nos, vt non nos demergat tempestas aquæ, neque absorbeat nos profundum, quia pauperes facti sumus. Adiuua nos, Saluator noster, quia æstimati sumus in profundum maris, & tincti sunt pedes nostri in sanguine nostro. Releua grauitudinem & acerbitatem huius frigoris, Domine Deus noster: vt cognoscant omnes, quia ad te clamauimus: & salui facti sumus, quia in te sperauimus, & non sumus confusi.

*alij ardentius opem Dei implorant:*

9 Et cùm facta esset hora tertia noctis, sol illuxit super eos sicut in æstate calidus, & soluta est glacies, & facta est aqua calida. Omnes autem, qui eos custodiebant, à somno tenebantur: solus autem clauicularius erat vigilans, & auscultabat omnia cùm orarent, & cogitabat in semetipso, quemadmodùm ille qui refugerat ad lauacrum statim mortuus est in calore, & illi qui in glacie orabant viuerent. Et videns lucem circa eos, respexit in cælum, vt videret vnde lumen luceret: & vidit coronas descendentes de cælo numero triginta nouem, & cogitabat intra se dicens: Quomodò cùm sint quadraginta, vna minùs est corona? Et cognouit quia ille, qui refugerat ad lauacrum, reprobatus est, & non est annumeratus cum quadraginta. Et suscitans custodes, qui secum erant; proiecit eis res suas, saliuitque introiens in stagnum clamans: Et ego Christianus sum. Et vadens in medio eorum stetit & dixit: Domine Deus, credo in te, in quo & hi credunt; & me annumera cum ipsis, & dignum me fac, vt propter te patiar tormenta & tentationes; vt ego inueniar in te.

*B lux magnâ exortâ.*

*& coronas 39 de cælo lobentibus.*

*annumerat clauicularium, in stagnum insilit:*

a *In alijs MSS. & apud Metaphrastem*: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.

b *S. Ephram: Martyres* intra aquas, quasi in thalamo suo diuersantes non sunt submersi.

## CAPVT III

### *Martyrum cædes, corpora combusta, Reliquiæ repertæ, nomina.*

10 a SAtanas autem victus conuertens se in hominem alligauit genua sua, & venit clamans & dicens ante omnes: Væ mihi miserabili, victus sum à C Sanctis & factus sum derisui, qui non habui vtiles ministros: nam non fuissem victus si fuissent vtiles ministri. Et nunc conuertam cor Iudicis, vt comburat corpora Sanctorum, & in flumine proijciantur: vel hoc faciam, vt ne reliquiæ eorum inueniantur. Sanctus Quirion dixit: Quis Deus sicut Deus noster? aut quis Dominus sicut Dominus noster? aut quis Deus præter Deum nostrum? Tu es Deus qui facis mirabilia magna solus, & aduersarios nostros deduxisti ad nihilum, & Satanam confudisti. Et cœpit psallere. Saluum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus &c.

*a Dæmons vicis*

*laudant Deum Martyres;*

Ps. 11, 2.

11 Mane autem facto venerunt impij tyranni, & viderunt Clauicularium in medio eorum stantem, & conquirebant à militibus, dicentes: Quid vidit, quia hoc fecit? Dicunt milites: Nos velut mortui oppressi sumus à somno, ille autem per totam noctem vigilabat, & subitò suscitauit nos; & vidimus lumen magnum circa eum. Ille autem statim proijciens vestimenta sua, introiuit ad eos in stagnum clamans: Et ego Christianus sum. Iussit autem Præses Agricolaus tractos eos deduci ad littus, & crura eorum confringi. Vnius autem eorum mater astabat iuxta eos: erat autem filius eius omnium iunior, nomine Militon, & timebat de eo, ne fortè trepidaret, & ad eum iugiter manus suas expandens tenebat, dicens: Fili dulcissime, adhuc pusillùm sustine, vt perfectus fias: noli timere, ecce Christus adstans adiuuat te. Cùm autem confringerentur crura eorum & animas redderent, dicebant: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus; adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Et omnes simul dicentes, Amen, reddiderunt animas Deo.

D SX MSS.

*extrahuntur:*

*cruribus fractis moriuntur:* Ps. 123, 7

12 Iunior autem, qui mouebatur à matre suâ, nomine Militon, adhuc respirabat. Et iussum est vt adducerentur vehicula, & imponentes corpora Sanctorum attulerunt, & posuerunt iuxta fluuium. Relinquentes autem iuniorem sperantes valere eum: mater autem eius videns eum derelictum solum, proijciens muliebrem infirmitatem, & accipiens virilem sexum & virtutem, tollens filium suum super humeros suos viriliter, sequebatur vehicula, vbi erant corpora Sanctorum. Et incendentes flammam ministri combusserunt corpora Sanctorum.

*Matre filium apportante,*

E *corpora comburuntur:*

13 Et consiliati sunt ad inuicem dicentes: Has reliquias si dimiserimus, tollent eas Christiani, & totum mundum replebunt. Venite ergo, proijciamus in flumine. Et radentes pauimentum scopis, tulerunt Reliquias Sanctorum, & proiecerunt in flumine. Collectæ sunt autem Reliquiæ Sanctorum ad gurgitem vnum fluminis, & nihil earum perdidit fluuius. Post dies autem b sex, reuelatum est Episcopo ciuitatis illius: Veniens ad fluuium, saluas inuenies Reliquias nostras in tali loco. Nocte ergo educ nos de flumine. Et accipiens quosdam ex Clericis suis & viros religiosos, venit nocte super fluuium: & ecce lucebant Reliquiæ in aquâ fluminis, sicut luminaria in cælo. Et vbicumque relictum aliquid Reliquiarum fuisset, splendoris magnitudine manifestabantur. Et sic educentes Reliquias beatissimorum Martyrum, posuerunt in loculis. Sicque certantes consummati lucent, sicut luminaria in mundo, credentes in Patre & Filio & Spiritu sancto. Compleuerunt autem martyrium suum 11 Idus Martij, regnante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

*Reliquiæ in flumen deiectæ,*

*b cælesti monitu*

*& luce reperta efferuntur.*

14 Nomina autem eorum hæc sunt. Candidus, Domitianus, Dianius, Quirion, Valens, Vinerandus, Alexander, Eficius, Sisinnius, Valerius, Melitius, Euticius. Vlloctemonius Bibianus, Eraclius, Lysimachus, Claudius, Flauius, Ioannes, Helius, Sanctinianus, Cadonius, Domninus, Leontius, Cauius, Athanasius, Seuerianus, Candidus, Quirillus, Ethus, Sacerdonius, Eutychius, Achacius, Gorgonius, Eunochius, Nichalius, Theodorus, Theophilus, Militon c.

*Nomina 40 Martyrum.*

c

a *S. Ephram*: Tunc amarè fleuit iuxta palastrum herbam... delitescens serpens. Tunc corde dissecabatur, quod accedere nequiret, & funditus gloriosum illorum exercitum succendere. Tunc stridebat in conflictu oppressus... instar passeris illusus à seruis Dei. Sibilabat draco.... sed ne conturbaret Martyres Christi inimicus, Angeli spatium stagni custodiebant. &c.

b *Alijs infrà*, Post dies tres.

c *Hic videtur finis fuisse. Sunt autem nomina valdè incorrecta à posteris subiuncta, de quibus suprà actum.*



Digitized by Google

# VITA ALIA

## auctore forsan Euodio Episcopo Cæsareæ, interprete Ioanne Diacono Neapolitano, ex MS. Capuano & editione Gerardi Vossij.

### PROLOGVS

AVCTORE EVODIO. INTERPRETE IOANNE DIACONO.

1 MArtyrium quadraginta Sanctorum scripturus, adiutorem inuoco Spiritum sanctum, (qui à Patre procedens, & à Filio accipiens, vbi vult spirat, & vocem eius nemo audit) quatenus ille, qui eorum corda virtute constantiæ in passione roborauit, ipse ariditatem mei pectoris stillicidijs suæ irriget gratiæ: vt hoc, quod humili simplicitate inchoaui, digno percurram sermone, decentique fine concludam. Sanè operæ pretium reor studiosis insinuare lectoribus, cuius id auctoritate fieri compertum sit, vt insolentium latratus facillimè concludamus. Domnus enim Ioannes spiritalis noster Pater, Abbas quoque monasterij S.Seuerini, cùm me infelicissimum Ioannem Diaconum, seruum S.Ianuarij Martyris, non meis meritis, vnicè diligeret, & crederet suis iussis in nullo me ire sinistrum; cœpit sæpissime coram me deuotionem referre, quam erga prædictos haberet Martyres, & nec plenè præcipiens, nec plenè dubitans, medius incedebat. Tandem hilariter, sed reuerenter mihi præcepit, vt passionem eorum Latinis transferre sermonibus minimè recusarem. Cui cùm ego respondissem, esse illam satis Latinitate celebratam, illicò Pater prouidus tali me responsione conclusit: Nec me latet, sed non sedet animo meo. Vnde etiam volo, vt non te pigeat ad fontem recurrere, id est, ad Argolicum stylum, & nobis purissimum *a* exantlare liquorem. Huiuscemodi responso accepto conticui, & *b* accito Græco peritissimo, affectum tanti Patris implere curaui; paruipendens eorum vesaniam, qui solito more cùm nihil ipsi facere sciunt, studium habent illos carpere, qui in tabernaculo Domini si nequeunt pretiosum monile, tamen pro vili portione vilissimum texere cilicium satagunt. Ergo qui *c* supercilium tumens, huius martyrij seriem displicere sibi asseruerit; sciat non cuilibet alij, nisi prædicto seruo Dei id me scripsisse. Ob cuius amorem, cum meo Hieronymo, Scylleios canes surdâ aure transibo.

*Petente Abbate S.Seuerini,*

*hæc Acta à Græcis translata sunt.*

*a*

*b*

Exod.35.36

*c*

a *Aliquod MS. apud Vossium,* exantlant

b *Ita MS. Capuanum, alia apud Vossium,* auito Græco peritissimo, *aut* accepto Græco puristimo.

c *Aliud MS.* supercilio tumido.

### CAPVT I

#### *Occasio persecutionis. Martyrum nomina. Quæstio sub Agricolao Præside.*

2 TEmporibus Licinij Imperatoris seruebat ingens persecutio Christianorum, & omnes, qui sub Christianâ religione viuebant, sacrificare idolis compellebantur. *a* Sed quia non abs re arbitramur differere, qualiter huiusmodi mouerit procellam; ex historijs & chronicis Græcis & Latinis breuiter carpsimus, breuiterque digerere studemus. Cùm autem Diocletianus & Maximianus Herculeus depositâ purpurâ, priuatam elegissent vitam, & *b* Maximinus Galerius, qui cum eis regnauerat, tenens Italiam, duos Cæsares fecisset, Maximinum in Oriente, & in Italiâ Seuerum; tunc Constantinus in Britanniâ, ciuitate Eboraci patre *c* mortuo, factus est Imperator; Romæ verò à Prætorianis militibus Maxentius, prædicti Maximiani Herculei filius, Augustus appellatus est: contra quem Seuerus Cæsar adueniens, militum proditione *d* Rauennæ peremptus est. Ob cuius interitum prædictus Galerius Licinium regni fecit consortem: qui in ipsis imperij sui primordijs, varijs prælijs & rebus alijs valdè prouectus, *e* Constantiam Constantini sororem duxit vxorem, ac per hoc omnis se pietatis & Christiani dogmatis sectatorem adeo simulabat, vt etiam plurimos eiusdem religionis quasi amicissimos secum haberet,

*a Quâ occasione in regni consortem assumptus Licinius:*

*b*

*c ductâ Constantiâ vxore, se Christianum simulat:*

*d*

*e*

3 Postquàm verò Constantinus in congressione Pontis Miluij peremit Maxentium, & Romanos à nefandis eius liberauit cladibus, prædictum Licinium affinem suum à Quiritibus *f* Cæsarem appellari fecit, & ei Orientales commisit regiones. Sed vbi à prædicto Galerio Carnuti est Imperator constitutus, fas omne abrupit, & *g* contra Constantinum tumultuari cœpit: & æstimans posse illum contristari, si calamitatem inferret Christianis, illicò omnes de suo palatio propellens Christianos, plurimos Sacerdotum afflixit, multos quidem & aliorum, præcipuè tamen de collegio militari. Sed huius rabidi canis vesaniam citò diuina compescuit vltio. Nam in bello Bythiniæ facto, tanto suffragatus est cœlesti Constantinus adiutorio; vt per terram & mare vinceret: Licinius verò reueritus a facie eius, semetipsum in Nicomediâ tradidit, & priuatus decore Regio, aliquanto tempore Thessalonicæ permanens, ibidem crudeli morte diem *h* clausit extremum. His hac clausulâ terminatis, conuertamur nunc ad narrationis seriem.

*Cæsar*

*f*

*& Imperator factus, per, equitat Christianos:*

*g*

*Thessalonicæ perimitur.*

*h*

4 Agricolao denique callidissimo, & omni crudelitate Christianis infesto, in amentiæ suæ Præsidatum reuecto, illicò Christicolæ cuncti, qui sub lege militari viuebant, sacrificare compellebantur. Quâ seueritate, nimiùm nimiumque inter scholares alas grassante, quadraginta milites Cappadociæ, compellebantur sacrificare, quorum vocabula sunt: Diometianus, Theophilus, Eutychius, Lisymachus, Gordianus, Xanthius, Cyrius, Helianus, Flauianus, Chudius, Heraclius, Eunomius, Alexander, Angias, Biuianus, Esychius, Smaragdus, Filoctimus, Athanasius, Domnus, Ioannes, Etius, seu † Quirianus, Meander, Candidus, Helia, Acacius, Valerius Claudius, Euticius, Leontius, Sisinnius, † Nicallianus, Priscus, † Sacerdos, Edicius, Theodulus, Melittus, Gaias, Valerianus. Hi sub titulo Christianitatis & vno caritatis vinculo ita insolubiliter conglutinati erant, vt etiam in prælijs crebrò suâ constantiâ adipiscerentur victoriam. Qui cùm à prædicto Agricolao essent arctati ad immolandum, omnimodò compellebantur. Sed cùm omni nisu resisterent sic callidus Præses ad eos auspicatus est loqui: Sicut vestræ animositatis vires in procinctu exerentes, sæpe victoriam militibus præstabatis; ita nunc vnitam vestræ mentis constantiam pandite, vt quantocyùs Imperiali obedientes decreto immoletis ante supplicia. Cui Sancti tale dedêre responsum: Et si pro Rege mortali ideò pugnabamus, sicut tu ipse nosti, vt prostratis inimicis, victoriam nostris commilitonibus ministraremus, multò magis conandum nobis est, vt pro immortali Rege, superborum vincamus tyrannidem.

*sub Agricolao Præside*

*hi 40 milites Cappadoces: Diometianus &c.*

*al. Quirinus.

*al. Nicander.

*al Sacerdon, Edicius. &c.

*arctati ad sacrificandum,*

*animoso responso renuunt:*

5 Quibus Præses: Ad eligendum vnum è duobus, in vobis procul dubio manet, aut immolantes, eminentiori gradu eritis digni; aut consentire nolentes, priuabimini cominus vitâ præsenti. Et idcircò vos cogitare conuenit, vt commodum eligatis vestrum. Cui Sancti è contrà, Dominus, inquiunt, gratuitò prouidit commodum nostrum. Et Præses: Non pluribus abutamini verbis: accedite, & sacrificate. Nec plura his: statim iussit eos retrudi. Qui cùm ingressi fuissent

*inter blandicias & minas constantes,*

Digitized by Google